


~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. CLVCCCCXIII.



7
SOLERTIS STUDIOSI
LINEAMENTA,

PRÆSIDE
M. CHRISTIANO MARTINO
Seelmann/

Leutschoviâ Hungarô,
Eruditis Examinatoribus tradit

RESPONDENS
M. ANDREAS TORKOS,
Jaurinens. Hung.

d. 12. Jan. cl. 13c XCV,
H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ,
Prælô JOHANNIS HAKII.

h. III. 3972

SI quis in terris adhuc dici queat Paradisus, esse & inveniri eum nullibi, nisi in Ecclesiis & Scholis bene constitutis, olim fatebatur venuste Chrysologus Petrus Ravennas. (a) Id ipsum magis presenti seculò dicere possumus, quò ejusmodi Paradisi amoenissimi areas ubivis ferè locorum invenimus cultas & reparatas. Non dilabemur ad gentium extranearum famam, Sinesum scilicet, quæ tot in illo regno Athenas, quot civitates & castella, Doctores penè innumeros, &, si fides habenda Autoribus, in una Cantonis provincia sexagies mille repertos, refert. (b) Constantinus M. multa seminaria adornando nobilem reliquit Paradisum: Thracia Constantinopolitanam, Græcia Atheniensem, Italia Romanam, Ægyptus Alexandrinam, & Gallia Massiliensem ipsius memoriae debet. Neque hic cum aliis Imperatoribus saltem, sed & Reges, Electores, Duces, Principes, Comites & Senatus in exstruendis passim Academiis famam posteris servare studuerunt. (c) Inter quas olim Pontifices Romani in suis decretis tantum Parisiensem, Oxoniensem, Bononiensem & Salamantinam Universitatis caractere insigniverunt. (d) Et cum multis retrò seculis ea contigerit felicitas, ut Magnates de Academiis instituendis cogitationem susciperent, bonis artibus pristinus & singularis nitor fuit restitutus. Quod enim olim, referente Plutarcho, (e) in more fuit, ut, si peregrini & hospites accesserint ad templū Delphicū, Sacerdos clarā voce clamaverit: Hic sunt homines: id majori jure de Scholis altioribus dici potest, nimirū hic fieri demum homines, & in hoc Paradiso mellis abundantiam reperiri, quò gustatò cum Jonathane licet exclamare: Illuminati sunt oculi mei! Quicquid sit ejus, quod objicere placet Parthenio Litigioso dicenti: inde litium multitudines exsurgere. (f) Quemadmodum autem ille, qui probè jactis fundamentis illas accedit, studiis suis mira promittere potest ac grata commoda, sic ei, qui, ad exemplum Icarī justò citius ad altiora volantis, subsidiis ejusmodi non

A 2

sunt

(a) *Christ. Pelarg. in Orat. de Scholarum dignitate.* (b) *Thom. Lansius in Comment. de Acad. p. 2.* (c) *Micralii Syntagm. Histor. Eccles. p. 376. & 563. seq.* (d) *Vid. Lans. l. c.* (e) *Mechovius in Hermathone pag. 7.* (f) *Libr. l. c. 7. n. 24.*

sunt instructi, minus recte suis rebus consulunt. Qua in re notatu dignissima sunt verba Morhofii: (g) E Scholis in Academias tyro- nem nostrum velut in alterum orbem deducimus. Misere jam cum illo agitur, qui doctrinam illò ordine dignam minus idoneus afferat. Quæ & aliæ rationes nos moverunt, ut *Solertis* STUDIOSI LINEA- MENTA tradere ingrederemur.

§. 2. Academia, quod ex Politicis notamus, sunt Societates ex collegiis & corporibus constantes, (h) in quas dum vult recipi Studiosus Juvenis, necessitas postulat, ut, quod in aliis societatibus valet, hic etiam observet, iisdemq; ceremoniis ac ritibus sese subjiciat, quibus cives novi solent initiari. In horum numero primum deprehenditur depositio, quæ in Academiis floret. Veteres Philosophi quendam in auditorium suum recipientes prius ingenium, naturam & mores ejusdem ex piscabantur, ut ostenderent qualis ille debeat esse, qui dignum se judicat nomine civis Academici; unde & hodie de- positori curæ est & cordi, ut varia ad hunc actum instrumenta depo- nendi oculis monstret, ipsiq; per decem prædicamenta (liceat his lu- dere verbis) applicet, admonitionibusq; suis studiosum neophytum exploret, an *φουλαυρία*, quæ veteranis statim ævari sibi persuadet, de- ponere velit, an patientiæ & moderationis notâ signatus sit, an stu- diosi nomine dignus, & ad literatorum congressus admittendus. Nec adventitio scholari fructus exinde deest, siquidem ipsi vitæ hætenus peractæ consuetudo & morum pravitas quasi delineantur. Et quem- admodum hoc in actu ludicro ipsi nunc ad altiora tendenti multa displicent, ita pensitet, si vitam suam posthac non rectius pruden- tiusq; instituerit, se literati & eruditi nomine indignum reddidisse.

§. 3. Sunt Academia, quæ eundem morem rejiciunt ut rem inutilem; quales in Gallia, in Italia, in Britannia multisq; regionibus aliis. (i) Et licet jam adduxerimus (k) quod Philosophi veteres ad ex- plorandum ingenium studiosorum ritum quendam in usu habue- rint: objici tamen posset, depositores a prisco more recedere, & si non in totum mutavisse, tamen multa addidisse a viris eruditis minus ap- probata. Quæritur itaq; num satius sit eundem morem recipere in Academiis & tolerare, an verò consultius eum penitus abrogare? Nos respondendo in duas quæstiones rem ipsam partimur. Aliud est

(g) Polybist. pag. 454. (h) Wendeleri Phil. Pract. p. 386. (i) Lansius l. c. p. 27. (k) Conf. Linneus l. c. c. 6.

est quærare: an receptus mos sit tolerandus? aliud rursus: an sit introducendus? Ad priorem quæstionem simpliciter affirmando, ad posteriorem sententiam nostram suspendimus. Est enim res adia-phora, neq; necessariò introducenda neq; simpliciter approbanda. Nec obstat, quod artes Mechanicæ potiores similem ritum imitentur, siquidem illi convenientiam quandam cum ritu Academico receperunt, ubi alumnos disciplinæ famulationis annos absolventes, priusquam ipsis cum legitimis artem suam adjuvantibus conversari & paribus cum illis gaudere beneficiis concedunt, suorum collegarum ludibrio & vexationi subijciunt, qui, an præcepta tradita & exercitata hæctenus tyrones memoriæ tradiderint, exquirunt; relinquimus & hac in parte eruditorum simili lætam consuetudinem, nec ideo, omne illud, quod eruditis quædamtenus cum alio hominum genere commune est, statim rejiciendum esse arbitramur, imprimis cum adhuc sua ritibus istis depositoriis constet utilitas.

§. 4. Non autem aliter studiosos facere existimatur depositio, quàm quondam apud Romanos in manumissionibus una Quiritem vertigo faciebat. (1) Apud Romanos enim, si quis servum apud Prætorem vel Consulem Romæ & in provinciis apud Præsidem aut Proconsulem, vindictâ, h. e. virgâ in caput imposita (eam enim vindictam vocabant) manumitti volebat, ejus caput vel aliud etiam membrum tenebat, eumque alapâ percussum circumagebat, & hæc verba solennia ad Prætorem dicebat: Hunc hominem liberum esse volo: & emittebat e manu. Prætor autem vindictâ i. e. virga, ejusdem servi capiti imposita hæc formula utebatur: Dico eum liberum more Quiritium. Inde ad licτόrem, per quem expediri manumissio solebat, conversus Prætor hæc verba: secundum tuam causam, sicuti dixi, ecce Tibi vindicta! Tum licτόr acceptâ a Prætore vindictâ caput servi visus etiam est percussisse, & faciem palmâ, tergumq; festucâ verberâsse. Hisce peractis nomen manumissi in acta a Scriba referebatur adjectâ causâ manumissionis. [m] Retinetur ergo talis modus & ritus, ut actio antecedens in recipiendis Studiosis.

§. 5. Postquam depositus est, Sal sapientiæ & vinum lætitiæ symbolum accipit a Decano Facultatis Philosophicæ, quorum prius lingua gustat, posterius capiti affunditur, ut ad alacritatem in tuenda professione inflammetur.

A 3

§. 6.

(1) *Consent. Lans. p. 27. l. c.* (m) *Rosini Antiqu. Rom. voc. Manumiss.*

§. 6. Quemadmodum autem aliquis, quando ea, quæ ipsum ab alicujus jure civitatis abigunt, deposuit, tunc recipitur in numerum civium, ita quoque studiosus, postquam pessimorum morum fuit admonitus, jure civitatis Academicæ donatur, accedit Academicæ Rectorem Magnificum, nomen suum profiteretur intra tempus definitum, & a Rectore matriculam expetit, ubi vel stipulatâ manu, vel juramento ad leges servandas seipsum obstringit.

§. 7. Dissentiunt huc usque inter se Politici & Moralistæ: an modus posterior hodiernum sit adhibendus? potiores videntur declinare, dicentes: non opus esse ut Juvenes in ingressu Academico tam grandi graventur sacramento. Aut enim Studiosus introducendus servat leges, aut non servat. Si confidimus ipsum eas servaturum, cur tenetur se juramento obstringere? Si autem eas non servabit, cur animæ ipsius tam iniquè consulitur, ut perjurii ansam in Academicæ ingressu inveniat? Præterea accedit, quod leges & statuta, antequam jurat, nec viderit nec legerit; quem jurandi processum ab obligatione videretur absolvere Pufendorffius (n) inquiring: ad juramenti obligationem requiritur, ut animo deliberatò id susceptum sit; Accedit, quod ejusmodi obstrictio nimis insidiosa videatur, siquidem leges quæ honesta pleraque jubent, & turpia Studiosis obvia prohibent, adeo sunt compositæ, ut a juvenibus servatu difficiles æstimantur. Cum itaque Studiosus juraverit, se legibus Academicis obtemperaturum, nihilominus tamen vel ex improvviso, vel petulanter eas violat, quæritur, nū perjurium committat? Quidam ut teneris succurrant conscientis, negant, asserentes, leges Academicas non simplicem, sed alternativam continere obligationem, ut quis teneatur vel ad illarum observationem vel ad pœnam. Ergo qui leges Academicas non observat, pœnæ tamen se submisit, perjurus non est, sicut hoc in specie legibus Academicis Francofurti subiectum. (o) Et quemadmodum, qui alias jurat, se legibus obtemperaturum, & non obtemperat, non est perjurus, modo quoad pœnam obedire non recuset, ita Studiosus qui noctu ebrius fortè in plateis tumultuatur, vel aliò modo leges violat, si non quærat Magistratus Academici autoritati illudere, non est perjurus, si postea a Rectore citatus in pœna obtemperaverit; quia juramentum obligat vel ad obedientiam, vel ad pœnam. (p)

Cum

(n) *I. b. 1. de Offic. hom. c. 2. §. 5.* (o) *Illustr. Strykius in MSC. Colleg. ad Jus Canon. Schilzeri* (p) *Melanct. in Ethicis p. 236.*

Cum quibus non faciunt hæc verba: Studiosus autem qui statuta Academicæ observaturum se jurat, atque petulantia, dolo, culpa eadem non observat, jurata utique non implet: ergo perjurium committit. Nec relevat quod excipis, perjurium hunc evitare qui poenam sustinere paratus. Hoc enim a te quidem dici audio, sed non audio probari. Sed enim hæc tua mens est, juramentum aut ad poenam obligare aut ad obedientiam, legibus statutisve præstandam, atque ut in alternativis separatis vel disjunctis conditionibus fieri juris est, sufficere earum una si adimpleatur: Leges etiam illæ, in quas non juravimus præcisè, nos obligant ad obedientiam, ad poenam verò demum sub conditione ea, si legibus non satisfecerimus. Juramenti consideres verba, non ea aut observantiam aut poenam ingerunt, sed observantiam tantum. Tale argumentum qui præstitit, eidem si non satisfaciatur, apertissimè perjurus existit, quia non servavit ea, quæ se servaturum juramento promiserat, nec poenam sustinendo aut mulctam persolvendo perjurium effugit. (q) Durior formula in fundatione Albiorensis hujus Academicæ juramento inclusa fuit: Juro &c. quòd illico civitatem & Universitatem exire velim, meque ad Lares paternos sive amicorum recipere, neque hinc pedem movere, donec veniam seu gratiam a præfatis Dominis desuper obtinuerò, Universitatiq; reconciliatus fuero, quæ tamen nunc emolita studio videtur. [r]

§. 8. Quævis sententia hac de obligatione profert rationes, neque hæc opinionum disparitas inter omnes est sublata: an juramentum an vero immatriculatio Studiosum constituerit? Respondetur: Matrícula Studiosum non tam facit, quam esse probat, verius est etiam non inscriptum, nec tamen inscriptionem protervè detrectantem, sed Magistratum Academicum agnoscentem pro Studio habendum esse. (s) A quo discedere videtur Illustr. Stryckius [t] inquit: Sola immatriculatio facit Academicum, iusjurandum verò tanquam accessorium est, quò eò magis sub officio suo contineatur civis. Nec priori nec posteriori sententiæ adstipulatur suis rationibus Siebenthal (u) dicens: Immatriculatio ergo Studiosum sufficienter non facit, neque probat.

§. 9. Hæc sunt antecedentia, partim Studiosum constituentia,

(q) *Limnaeus VIII. 6 24. seq.* (r) *Vid. Sveru Academ. Witteberg.* [s] *Horat. Luc. de Privil. Schol.* (t) *In Colleg. cit.* (u) *In Disp. de Privil. Studios.*

ria, partim eundem probantia. Nunc ejus officia considerando, deprehendimus illum cogitandum de fideli Domino, Duce & Doctore. Ingressus Academiam librò novò, stylò novò, & tabulà novà; eligit itaq; sibi virum aliquem bonum, ac semper ante oculos habet, & sic, tanquam illò spectante, vivit, & omnia, tanquam illò vidente, facit; fugit ἀνοδιδάκτων cœtum, qui rarissime bonus existit. De Jacobo Cujacio quidem refert Papir. Massonius (w) quòd seipsum in Græcis ferè Latinisque literis nullò docente erudierit. Josephus Scaliger, summus subtilitatum Magister, de seipso (x) testatur idem, hi vero tali fuere præditi ingenio, quæle natura non omnibus imperitur. Ideoque eandem conculcat maximò labore & assiduitate viam, quam Patres eruditi plerique amaverunt, & vivam vocem huic discendi genio prætulerunt.

§. 10. Præditus est Studiosus noster, naturali & ingenità inclinatione, unò verbò, ingeniò.

Rara avis in terris nigroque simillima cygno!

Quemadmodum enim e quovis ligno Mercurius non existit, ita non omnes nascuntur ad studia idonei: Quoddam videlicet ingenium sceptris, quoddam stivæ, quoddam literis, quoddam sordibus aliisque adhæret.

Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis:

Natura sequitur semina quisque sua.

inquit Pœta. (y) Ingeniosi verò vocantur, qui docilitate, memoriâ & judiciò pollent. Docilitas est facilis rei comprehensio, memoria comprehensorum recordatio, judicium verum a falso dignoscit. (z) Multi sunt, quibus vel primum vel alterum deest, pauci quibus & tertium adest. Plato jam dudum conqvestus est: Hujusmodi ingenium rarò nascitur: (aa) hòcque qui destituti sunt, difficile aliquid suscipiunt; quandoquidem hinc non negemus hanc ingenii dexteritatem consequi nos posse, licet a teneris annis natura ipsa non porrigat, diligentia adhibita, siquidem

-- -- -- -- *Labor omnia vincit*

Improbis.

§. 11. Exemplar notatu dignum nobis sistit Polemon, qui perditæ luxuriæ adolescens saluberrimis Xenocratis Philosophi institutis, & pro-

(VV) *In vita Jac. Cujacii.* (X) *In Epist. ad Bonaventuram Irlandum.* (Y) *Propertius L. 3. Eleg. 7.* (Z) *Huartus in Scrut. ingen.* (aa) *L. 7. de Republ.*

& propriô studiô eò pervenit, & Atheniensium gubernator salutaretur optimus. (bb) Quemadmodum enim saxa durissima aquâ sursum dilabente sensim excavantur, ferrum & metalla attritu & contactu tandem conteruntur, ita natura infelix, si colatur, non tam ardua & inexpugnanda deprehendetur.

§. 12. Nec sermo noster nunc intendit ingenia præcocia, quæ quidem illustriora, breviora tamen esse solent. Audiamus iudicium Quintiliani: præcocia ingenia non multum præstant, sed cito, non subest vera vis, nec penitus immixtis radicibus innititur, ut, quæ summo solo sparsa sunt, semina, celerius se effundunt, & inaitatæ spiculas herbulae inanibus aristis ante messem flavescent. (cc)

§. 13. Ingeniô maturioris ætatis ornatus Studiosus hoc singulare decus excolit per virtutem. Hæc includit Pietatem erga Deum, & honestatem, quæ vel seipsum, vel alios honorat. Pietas solum ad Deum; honestas, prout ipsum spectat, consistit in temperantiæ, modestiæ, magnanimitatis, liberalitatis, magnificentiæ & fortitudinis studiô; quatenus verò ad alios referenda est, includit iustitiæ, veritatis, mansuetudinis, concordia, humanitatis, urbanitatis & beneficiæ observantiam.

§. 14. Virtutibus non incongruè jungimus scientiam, quas ambas contiguas in ædibus cohabitare dicunt Poëtæ; hanc Græci veteres in sapientiam & prudentiam sunt partiti, olim ex Pythagoræ denominatione Philosophia salutata (dd) Antequam verò ad istud sapientiæ limen quis ascendit, requiritur, ut in literatura, artibus liberalibus & Philosophia fecerit profectus. Literatura prima cujuscunque lingvæ rudimenta & elementa inculcat, & præparat ad capiendas artes liberales, quarum septem vulgatô cum memorantur versiculô:

Gramm: loquitur, Dia: vera docet, Rhet: verba colorat,

Mus: canit, Ar: numerat, Geo: ponderat, Ast: colit astra.

per quas ad Philosophiam sive studium sapientiæ itur.

§. 15. Hoc communiter Philosophi nostri dispertuntur in Theoreticum & Practicum. In Theoria requiescit Metaphysica, Pneumatica, Physica & Matthesis. Ad praxin nos ducit Moralis Prudentia. Sunt quidê qui Ethicam adjungunt Philosophiæ Theoreticæ, quam obrem verò non toleranda sit hæc assertio docet Excellentissimus Philosophiæ

B

osophiæ

(bb) Valer. L. 6. c. 11. (cc) Lib. 1. c. 3. (dd) Cic. L. 3. de Orat.

Philosophiæ Practicæ Doctor Dn. Röhrensee / Præceptor noster ætatè m
venerandus his verbis: Etsi verò natura ejus (scil. Ethicæ) generalior
est, quàm Oeconomica atqve Politicæ, malè tamen id propter pro
theorica Philosophiæ Practicæ parte a quibusdã habetur, cum & finis
ejus & objecti formalitas, & quâ traditur, tradendaqve est, methodus
alia omnia ostendant. (ee)

§. 16. Videntur quibusdam Eruditi confusionem fortè com
mittere, cum supra & veterum & modernorum rationes Geome
triam, Arithmeticam, Astronomiam & Musicam inter artes libe
rales referant, quæ tamen in se sint & ab omnibus habeantur perfe
ctæ scientiæ; ast sciendum, dupliciter illa studia, tum inter artes li
berales seu humaniora, tum inter disciplinas Philosophicas recenseri
posse. Præ gustum & rudimenta, quæ, quasi in idea, sub qua menti
res sistitur, totam rem proponunt, ad παιδείαν, seu pueriles disciplinas
trahunt eruditi, accuratam verò earundem quâ causas cognitionem
scientiam vocârunt. Hanc naturalium cognitionem multos a suo
 proposito abduxisse & celebriores fecisse eruditus orbis narrat, & ipsa
testatur experientia. His etiam cognitis Studiosus noster sapientiæ
palæstram, Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam aggreditur.
Ex priori animæ, ex secunda opibus & bonis, ex tertia corpori confi
lium & solamen datur.

§. 17. Ad parandam verò hanc laudem Studiosum facilè pos
set detinere via tam ampla, quòd ipsi tantum operis simul impo
natur. Non enim aureis cyathis, nec pateris argenteis exhauritur,
Nec tibi per ventos assia columba venit.

Benè rem habituram credo, dixisse fertur Agatho quondam ad So
cratem, si sapientia in hominem deflueret, quemadmodum aqua per
lanam in vas aliquod vacuum deduci potest.

§. 18. Studiosus noster frustraneum hoc votum deserens certi
oribus auxiliis & remediis utitur, & naturali inclinationi compendia
jungit certissima, quibus rem sibi facilem reddat. Sic nominamus
præcepta, a Doctoribus tradita, quæ certam viam rationemqve
discendi & cognoscendi tradunt; hæc verò ut perspicua, brevia,
perfecta & certa præsupponimus. Perspicua sunt, quibus perturba
ta, contorta & ambigua verborum congeries de est. Brevia, quæ su
perflua

(ee) In Prud. Mor. Thes. V. Proem.

perflua verborum circuitione & cumulatione carent. Perfecta, quæ nec plus nec minus comprehendere possunt. Certa deniq; , non varia nec multa. Hoc sine fundamento quicquid superstruxeris labori, aut volubilitati aut corruptioni subicitur.

§. 19. Nec ullam disciplinam suis carere præceptis arbitramur, quicquid quidam regerere audent, quòd sine præceptis latina possit addisci lingua, solâ loqvendi consuetudine & auditione. Concedimus cum aliis facilè Plutarchum, Dionysium Halicarnassensem, Diodorum Siculum & Dionem Cassium hòc modò linguam latinam didicisse, quorum famæ & laudis obtrectatores esse nolumus; verùm rarò talis invenitur æmulus felix, qui neglectis præceptis usu fuerit edoctus, in latinitate scienter & perfectè comprehendenda; securior itaq; via nostro Studioso curæ cordiqve solet esse, qui ad experientiam testem provocat, per viginti annos (penè dixerim per totam vitam) hoc in studio defatigari adolescentes, & tamen plurimos vix grammaticè scribere aut loqui. (ff) Et quì aliter fieri posset? Satis negotii & omnibus est, qui artem & usum & exercitium conjungunt.

§. 20. Usus & exercitium faciunt artificem, quod ultimum crebrâ diligentia absolvitur. Hanc probat publicè vel auditoria in lectionibus frequentandò, vel respondendò aut opponendò, privatim verò propriâ diligentia excepta ruminandò, vel alia sui generis studia ordinatim tractandò & exercendò, quò indies suam firmet & augeat scientiam.

§. 21. Ante omnia sibi prospicit de eruditorum scriptis, eisqve paucis & selectis; velut etenim bonus œconomus se non supervacanea suppellectile onerat, ita quoqve non omnes sed necessarios sibi comparat libros. (gg) Equidem Franciscus Junius Theologo codicem sacrum, Institutiones, Indicem sacrorum, Grammaticam Ebræam Cevallerii tanquam lucernas quatuor sufficere statuit: & Philosopho Aristotelem, Plinium, Plutarchum vel hujus locò Ciceronem & Ptolomæum, quatuor hos autores, Bibliothecæ instar esse censuit Philippus Melanchthon; & Goclenius Aristotelem, Scaligerum Patrem, Zabarellam, Schegkium omnia voluit Philosophorum implere pulpita, (hh) non tamen videmus, cur hisce consiliis Studiosum velint

B 2

avertere

(ff) Mechovius in Herm. p. 212. & 237. (gg) Verrep. L. 2. Inst. Schol. (hh) Christ. Pelarg. in Orat. de libro Vita mystice.

avertere a πολυμαθείας vestigiis, siquidem nec ipsi hæc secuti sunt, nec alii amplissimum Studii sui territorium tam paucorum librorum lectione arctabunt.

§. 22. Nimius eque librorum apparatus ipsi Senecæ displicuit, inq̄uenti: (ii) Habet hæc lectio (multorum scil. librorum) aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & innutrirī oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt. Distrahit animum librorum multitudo: itaque cum legere non possis quantum habueris, sat est habere quantum legas, &: (kk) non quantum vis, sed quantum capis, hauriendum est. Sed modò, inq̄vis hunc librum evolvere volo, modò illum. Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ, ubi varia sunt & diversa, inquinant non alunt. At verò hic sapiens ad tam exiguam librorum suppellectilem neminem obligare videtur Studiosum nostrum.

§. 23. Quod corporis exercitia, recreationes, ludos ingeniosos & delectationes concernit, non dicimus in his ipsi connivendum esse, ob Medicorum svasiones, quæ ipsi consulunt, ob melancholiam aliquamque corporis corruptionem evitandam recreationibus aliquando inservire debere, sed approbamus eas, quatenus animo virtuoso non adversantur.

§. 24. Quales verò Studiosum ritè comitentur, ex ipsius qualitate, studiorumque genere petendum esse docet Limnæus (ll) qui aleam certis legibus admittit: lusum chartarum quem a sapientibus excogitatum demonstraverit Galeottus Martius, non improbat. Utròq; tamen vult uti Studiosum sicut somno & quiete. Exercitia corporis ne sint illiberalia s̄vadet, in specie circumlatoria, remissiora & nimis laboriosa rejicit. Exercitationem palæstricam ut utilem & proficuum commendat, quia tum ad proprii sanguinis defensionem, tum ad laudem conservandam, quam Dux militiæ felix Studiosis attribuisse dicitur: se tot in bellis, in quibus ordines duxerit, milites animosiores & alacriores sub signis non habuisse, quam bonarum literarum Studiosos, conduceret. Pilælusum imprimis laudat.

conf.

(ii) Ep. 2. (kk) Epist. 109. (ll) VIII, 6. 89.

conf. Melchior Junius. (mm) Quibus non incongruè nos adjun-
gimus saltationes decoras, quippe quæ ad gestus motusque corporis
formandos non parùm faciunt. (nn) Qui navigationibus, ambulati-
onibus, quarum usum ostendit proficuum divinus ille senex Hippo-
crates, (oo) & vectionibus delectari gestiunt, illis honestatem con-
trariari non arbitramur, habitâ tamen temporis ratione. Sicut enim
Paterfamilias dignoscit, quid nunc, quid postea in familia sua pera-
gendum sit, ita quoque Studiosus non omni tempore agit quod lubet,
sed quod ipsum oportet.

§. 25. Valetudo felix non minorem studiis ejus operam præ-
stat, nemoque negabit, eorum minus ad studia quævis aptos esse, qui
gravioribus & longævis morbis conflictantur.

§. 26. Nec destitutus est noster opibus & auxiliò, quibus pro-
movere poterit magnopere suum propositum, ac eorum numerum
egredi, de quibus illud:

Haud facile emergunt quorum virtutibus obstat

res angusta domi -- -- -- --

Ut & *Heu quàm difficile est, quàm paucis numina præbent*

Ex humili volitare gradu virtutis in arcem.

Quam rarò egregios pauper sortitur honores!

canendum.

§. 27. Ne, si pauper est, miser quoque audiat, vitare didicit Mur-
ciam & otium, quæ omnes sibi deditos in vitiorum servitium præcipi-
tant. Romanis nihil fuit antiquius, quàm ut caverent, ne senes ac
adolescentes præcipuè viverent otiosi, & observamus, tam diu durâsse
in civitate gloriam, quam diu adolescentibus otiosis Romæ vagari non
licuit. (pp) Ad damnabilem luxuriam quis proclivior est quam otio-
sus? nihil enim agendo malè & mala agere discimus. Pœta inquit:

Quæritur, Ægyptibus quare sit factus adulter?

In promptu causa est: desidiosus erat.

§. 28. Luxuries verò maximè negotiatur vel circa libidinè, vel gulæ
delectationè, vel rixarû excitationem, quæ plerumque ingenio nebulas
offundere, senectuti demùm effectû & molestiâ obrutum corpus tradere
solent. Cùm Leonhardus quidam eques & nobilis cognatû suum Lipsiæ
studiorum prætextu & specie vitam degentem salutaturus advenisset,

B 3

quæ-

(mm) In Orat. de Illustrium Recreationibus. (nn) Plato lib. 7. de leg.

[oo] Lib. 2. de victus ratione. (pp) Wendelin. Polit. p. 174.

quæfissetq; uti valeret, & quem in bonis literis progressum fecisset, unus e commilitionibus respondebat: optimè quidem se amicus tuus gerit. Nam inter 1500. hic unus bibendi palmam obtinet. (qq) Nec ferè majorem pestem olim in Academiis fuisse concludimus, ubi ex multorum, ætate superiorum, relatione certiores sumus, longè majus studium ante aliquot annos Baccho consecratum fuisse ac modernis diebus. Sive illud virtutis amor, sive charitas annonæ, quæ durare videtur, efficiat, non est ut nos disquiramus. Nocturnas deambulationes virtutis amore fugit, nec istas vociferationes, gladiatorum fremitus, fenestrarum & ædium deformationes, quæ sapius rixas & concertationes movent, amat & tentat.

§. 29. Cum igitur tam virtutes sequendò quàm vitiorum agmen averсандò studiosum delineaverimus, justum quoque erit, eundem in numerum civium Academiæ conformium ducamus, ipsiq; privilegia, beneficia & præmia tradamus. His enim alliciuntur pauperum & egenorum, ut & omnium ingenia. Etsi quidem virtus per se sit expetenda, & sui ipsius merces est amplissima; tamen nunc ferme:

*Quis -- -- -- virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas?*

(rr) Utilitas enim agmen validum & callidum, quod nescio quomodo illabatur & insinuet se in animos, & blandà quadam vi vincit non invitos. Irrepat enim potius quàm irrumpit, svadet non cogit, & tam facile duci nos ab utilitate patimur, quàm a necessitate trahi. (ss)

§. 30. Nemo proinde inficiabitur magnam utilitatem peperisse Privilegia Studiosis data, quorum ab interpretibus famosæ illius Arthenticæ, ut a Rebuffo centum & octoginta, ab Horatio Lucio centum referuntur, quæ Friedericus I. Imperator apud Roncalias, qui locus Italiæ peramœnus, anno 1158. mense Nov. adhibitò in consilium Statu Imperii, & habità diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicum, & aliorum Procerum sacri Palatii examinatione (tt) videtur tribus inclusisse membris, quibus (1) Salvum conductum seu liberum accessum Academicis tribuit (2) Injuriam verbalem & realem ab Academicis repellit. [3] Jurisdictione proprià Academiis munit & stabilit, & hæc ob pietatem & reverentiam studiorum, ob immensum laborem, ob injurias & ægritudinem studiosorum. (uu)

§. 31.

(qq) Aneas Sylv. ad Lib. 1. Panorm. de Alphons. rebus gestis. (rr) Juven. Sat. 10. (ss) J. Lipsius 2. de const. c. 6. (tt) Limneus VIII. 9. 9. sq. (uu) Siebenhal in Diss. de Priv. Stud. 1. § 2.

§. 31. Beneficia propius pertinent ad Studiosos tenuioris fortunæ, qui per famam & sitim frigora æstumve, per contemptum & reliqua paupertatis cognata ad culmen virtutis & honoris eniti tenentur. Ejusmodi beneficia non unius generis dantur hac in Albiorena, quibus tum victui tum studiis ipsis consulitur. Vitam sustentandi gratiâ, gratis fermè & libera datur in domibus Academicis, Collegiô scilicet & Monasteriô cohabitatio, nec non mensa publica sternitur, quæ magnum numerum indiscriminatim admittit; taceo stipendiorum munificentiam, quibus non pauci per Trium gravissimorum Ephorum dexteritatem hætenus frui, hanc gloriosissimam Serenissimi Electoris Saxonici clementiam undiquaque celebrant & prædicant. Et certè, si quæ poterit Universitas gloriari de beneficiis hõc ævõ, hæc verè Witeberga omnibus palmam præripit. Beneficii nomine non immeritò venit publica Bibliothecarum collectio, quæ sensim hic loci, post deductam florentissimam Jenam versus suscipitur, & stans horis per septimanam bis aperitur, & cuivis fruendi copia, prout est, conceditur.

§. 32. Inter præmia refertur cibus dulcissimus, quò virtus nutriri solet, honores scilicet; tum quos Doctores Academici in conferendo Baccalauri, Magistri, Licentiati & Doctoris titulo tribuunt, ubi ipsis promoventibus cathedram, librum, biretum & annulum aureum concedunt: tum illos, quos invicem per publicum munus & officium omnes expectant solertes studiosi.

§. 33. Et hæc fuerunt quæ impræsens adducere nobis placuit ad sistenda SOLERTIS STUDIOSI LINEAMENTA. Multa quidem addere his potuissimus, si paginarum limites transcendere licuisset.

§. 34. Sic nostram delationem adjicere voluissimus circa relationem Henrici Kornmanni (vv vv) Nefas grande creditur Colonia Agrippinæ & Tubingæ, si juvenis ad puellam veniens ipsam non osculetur & amplectetur, an hi ex consuetudine & propagato more virginem deosculantes Studiosi peccaverint in temperantiam?

§. 35. Et: an Studiosus modestiam violaverit, qui tabernas cerevisiarias quandoque frequentat?

§. 36. Item: an honores Magisteriales contemnens magnanimitati adversetur?

§. 37. Ut &: an liberalitati contrarius sit, qui stipendii sui dimidiam

[vv vv] In Comment. de linea Amor. c. 4. deosculis.

diam partem alteri sponte relinquit & tradit, cum ipse postea vilio-
rem vivendi rationem instituere habeat necesse?

§. 38. Sic quoque: An fortis sit dicendus, qui nocte dieque stu-
dens celeriore mortem securam non metuat?

§. 39. Quod virtutes erga alios concernit, movendæ & discuti-
endæ fuissent sequentes quæstiones, e. gr. Est Studiosus, qui divitis &
Patroni promissionibus, verbis & scriptis sæpius confirmatis, de
prospiciendo victu & amictu fretus, hæcenus vitam Academicam ex
ære alieno sustentavit, Patronus promissis postea non stat, ita ut nul-
lam nunc videat Studiosus solvendi rationem, quæritur, an injustus
sit, si insciis creditoribus in fugam se conferat?

§. 40. An Studiosus, qui debitores ad cambium proximè adven-
turum relegat, istud verò citra spem indubitata definitò tempore
non advenit, veritatem offenderit?

§. 41. An, qui lites dirimendi gratiâ gladiò depacisci cupit, man-
suetudinem exerceat?

§. 42. An Opponens disputationes aliorum examinans, & easdè ita
exagitans, ut derisiones excitentur & oriantur, concordiam violaverit?


§. 43. An Studiosus ludicram vitam, quomodo hic vel illic gesserit,
coram tenellis juvenibus recensens urbanitatis limen excesserit?

§. 44. An is qui inscripsit bonis amicis sui ob evitanda vectiga-
lia alias solvenda: *Studenten-Guth*, beneficentiæ satisfecerit?

§. 45. Et denique circa Pietatem sive virtutem ad Deum rela-
tam: Studiosus a Patrono stipendium accipit, cui arctò se juramen-
tò tenetur obstringere, quòd a nullo alio quàm ab ipso promotio-
nem suscipere, & si fortè evenisset, per multos annos expectare velit.
Patronus post aliquot annos derelinquit fidem orthodoxam, alum-
noque suo injungit, ut Parochiam suæ religionis subeat: quæritur
quid faciendum Studiofo, ut, quandoquidem alias, quia nullos ha-
bet Patronos, vilio-rem vivendi rationem arripere cogitur, tum sibi,
tum Patrono, tum ipsi Deo Summo Bono satisfaciat?

§. 46. Ex his & aliis pluribus quæstionibus prolixiorè differen-
di materiam, quæ nec inutilem, nec odiosum finem polliceretur, ca-
pere potuissimus. Sed subsistendum erit & ponendum: satis est di-
xisse ea, quæ necessaria, non quæ opus fuere. Pro præstito no-
bis auxilio sit gloria Moderatori

Summo!



Ung. V 37


ULB Halle 3
003 913 872




Sl.

V37







STUDIOSI
 MENTA,
 ESIDE
 NO MARTINO
 mann/
 à Hungarô,
 inatoribus tradie
 NDENS
 AS TORKOS,
 enf. Hung.
 cl^o l^oc XCV,
 . Q. C.
 EBERGÆ,
 ANNIS HAKIL.

h. III. 3972